



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egrae, 1689

Problema XXIX. Quare Joannes in Vinculis? Dominica II. Adventus Joannes
in vinculis. Matthæi 2 .v. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XXIX.

Quare Joannes in Vinculis?

DOMINICA II. ADVENTUS

Joannes in vinculis, Matthæi II. v. 2.

J. I.
Elogia S.
Joannis.

Ioannes in vinculis? Joannes gratiam sonat, gratiarum epitome Joannes sicut, & ille in carcere? Joannes virtutum schola, magisterium vitae, sanitatis forma, norma justitiae, Virginitatis speculum, pudicitiae titulus, castitatis exemplum, paenitentiae via, peccatorum venia, fidei disciplina, Joannes major homine, par Angelis, Legis summa, Evangelij sanctio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, Lucerna mundi, preaco Judicis, precursor Christi, Notator Domini, Testis DEI, totius medius Trinitatis. Chrysologus serm. 167. Et Joannes in vinculis? Joannes, qui ante pervenit ad cœlum, quam terram tangeret, ante cœpit vivere DEO, quam sibi, inquit idem serm. 91. Et hic Joannes in terra in vinculis? Internatos mulierum, qui in terra unquam vixeré, vivunt defacto, aut victuri sunt, Joannes prececcit cunctis, Joannes eminet universis, Et quisquis ex muliere (scilicet non Virgine) inferior est Joanne. S. Ambrosius serm. 94. Et hic in vinculis? Quisquis Joanne plus est, non tantum homo, sed DEUS est. Augustinus serm. 4. de Bapt. nimirum ut doce S. Maximus: hic est, qui iudicio cœlestis sententiæ cunctis mortalibus antefertur, dicente Domino: Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Ex quo Dei

hominis oraculo colligit Gerson, Dominum in Cœlo Matrem suam super omnes & hominum & Angelorum choros collocasse, & huic proximum Joannem Baptistam, loco scilicet thronoque Luciferi. Et hic tantus Joannes, adeò apud DEUM gratus in carcere, vinculis, tribulacione & adversitate? Ita est, Joannes in vinculis, & paulò post educendus, capite crudeliter minuendus. sed cur hoc? Nomen pro ratione est, quia Joannes, id est gratiosus DEO, quod ipsum Joannes agnovit. Joannes specie homo, formâ Angelus, quia nihil carnis erat in eo. corpus tenebatur in carcere, anima autem in cœlo, Et quod Herodes illis faciebat propria, ille suscipiebat pro beneficio, Et illius quasi DEImisericordia, seu gratia fruebatur. Chrysostomus hom. 27. operis imperfecti. Quâ, ut & nos fruamur, vincula, & per hæc intellectas adversitates Dei beneficiū gratiæq; signum certum esse ostendam.

Cæteras inter multiplices sollicitasque curas, quibus cor humatum frequenter inquietatur, etiam illa est, quæ hominem in dubio ponit, qualis coram oculis Dei appareat: Nescit enim homo, utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta. Ecclesiastes 9. v. 2. Quis potest dicere (quærerit S. Bernardus serm. 1. de septuag.) ego de electis sum, ego de numero filiorum sum? Et ferè similem fecit ad suos fra-

§ 2.

Nescit homo utrum amore an odiodignus sit, monitatem tam certitudinem si multa patiatur.

Blosius in
appendice
de quatuor
sanctis fe-
minis.

Os fratres interrogationem Idem ser.
2. in Ascens. S. Aug. L. de ovibus. c.
10. *Quis scit an omnium vestrum, quos
hic video, nomina scripta sint in caelo?
Quanto putas gaudio replerentur
omnia offa mea si id scirem? ovem te
putas, hincum te forte novit DEUS.*
Hæc ipsa cogitatio S. Mechildem
multum quondam angebat, quæ
cum feria quartâ post pascha in sacri,
cui aderat, introitu legi audiret illa
verba: *Venite benedicti Patris! In
lacrymas soluta, in hæc prorupit
verba: O si scirem me unam esse ex be-
nedictis illis? cui Christus comparans
dixit: Scias certò filia te unam ex illis
esse, Et ut nihil dubites, ecce ego do
tibi cor meum in pignus amoris.*
Tanto repleta fuit gaudio, &
consolatione, ut penè dissolvetur,
sicque hoc divini amoris pignus
Mechildem confortavit, ut usque
ad vitæ finem inter milles adversi-
tates, quibus eam exercuit DEUS,
semper hilaris, semper in divinam
conformis voluntatem plura pati
promptissima vixerit. Tantum po-
tuit ad patienter ferenda omnia ad-
versa pignus amoris Divini. Et li-
cet nos ejusmodi oculari & pal-
mari signo sui erga nos amoris
non dignetur DEUS, satis tamen esse
debet ad æquo fortique animo fe-
renda adversa omnia, illa, quam ex
Patribus & Scriptura sacra habemus,
assuratio Divini erga nos amoris,
vel ex hoc ipso, si DEUS nos saepe
numero adversitatibus visitet, si ut
terram aratro & occa tribulationum
Findat & scindat, si ut frumenti gra-
num varijs tentationum ventis pro-
bet. *Ubi patientia ibi DEUS* inquit
Tertullianus, Patientia in adversis
signum est evidens, ac apertissimè
demonstrans animam in me consi-
stere pariter & in ea me per gratiam
esse, dixit, repetitque cœlestis Pater
S. Catharinae Senensi Revelat: dial.
& T. 145. *Vis scire utrum in hoc regno,*

*in hac Urbe in hac Domo, in hoc homi-
ne, habitat DEUS? Vide utrum ibi
sit patientia. Ubi patientia ibi DEUS.*
Patientia, velut magnes ferrum, &
magnetem stellæ polaris ad se trahit,
ita DEUM attrahit. Clarissimis ver-
bis idipsum Christus Matth. 5. Beati
qui persecutionem patiuntur propter
justitiam, & S. Spiritus Apoc. 3. v. 19.
*Ego quos amo, castigo. Quem diligit
Dominus corripit, & quasi Pater in
filio complacet sibi.* Proverb. 3. *Mul-
tæ tribulationes non quorumcunque
sed justorum, ut S. Ambrosius L. 4. in
Lucæ 4. Blosius dialogum refert in-
ter Sapientiam divinam & B. Henri-
cum Sulonem, in quo Sapientia er-
rorem communem hominum de
tribulationibus sic refutat: Non re-
de sapiunt illi, qui gravatè, & cum
querimonia afflictionem fertunt, om-
nino enim paterna castigatio est &
virga mea ex maximo amore profici-
scitur. Blosius de consolatione pu-
fill. c. 24.*

Fingunt Poëtæ quod summus
DEorum Jupiter sagittas quibuscum
pingitur & quibus hominibus im-
missæ diversæ tribulationes signifi-
cantur, priusquam illas ejaculetur in
ardentissima Vulcani fornace igni-
at. Hæc fabula, sed Christiana
Veritas est, quod magnus & verus
DEUS sagittas tribulationum non
mittat, nisi ignitas prius in fornace
amoris Divini. Unde David psalmo
7. v. 17. *sagittas suas ardentibus effe-
cit, quæ verba Græcus ita habet:
sagittas suas amore impletæ clarius*
Hugo Catdinalis supra memorata
psalmi verba interpretans ait: *Ex
igne Divini amoris sagittæ amoris
veniunt.* Credo tibi querenti præ
dolore cum lacrymis mi Christiane,
quod longæva infirmitas tua, quæ
dolorosè lecto affixus jaces, quod
multiplex contemptus, quem pate-
ris, gravis persecutio, sub qua ge-
mis, dura quacum conflictaris pau-
pertas

Ovidius.
1. Meta-
morph.

§ 3.

Jupiter sa-
gittas quas
cælo ejac-
culatur,
prius in
vulcania
ignit. Deus
verus in
fornace
Amoris,

pertas tua instar acutarum sagittarum sint, quæ cor animamque ipsam tranverberant, salsa ex oculis crient lacrymas, è profundo corde amaros protrudunt gemitus; sed hoc solatio tibi esse debet, quod omnia, quæ pateris immediate aut mediate à Deo proficiuntur, quod ejusmodi sagittæ ex Divini amoris fornace proveniant, in animæ tuæ bonum illis vulnereris corporaliter. *sagittas suas amore implevit.* Veritatem hanc docuit Deus Moysen Exodi 3.v.3. *pascebat* (inquit Scriptura) Moyses oves Jetro, cumque ministrat gregem ad interiora deserti, venit ad montem DEI Horeb, apparuit que ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur. Interpretes in hunc locum apud Cornelium dicunt rubum fuisse spinam, per spinas DEum significare voluisse tribulationes, quas actu patiebatur, passurusque deinceps erat populus sub Pharaone; apparuit autem ardens rubus, ut intelligeret Moyses, doceretque populum tribulationem ex amore, cuius ignis symbolum est, proficiendi, & ideo in patientia ferendas. Quod ipsum aliâ Scripturâ confirmari potest. Mundo & vulgo notum est, quæ & quanta ab inimico Saule innocentissimus David pati debuerit, penes DEum in celo, unum Davidis in terra solatum fuit Jonathas Saulis filius. Hunc, dum vice quadam ad mortem quereretur, David pro sua fortuna obvium habuit, à quo de occultis stratis insidijs admonitus, & qui se gerere deberet instructus fuit I. Reg. 20. à v. 19. *Cras*, inquit, *calendæ sunt*, & requireris. *Descendes ergo festinus*, & *venies in locum, ubi celandus es* &c. *& sedebis juxta lapidem, cui nomen est Ezel.* Et ego tres sagittas mittam juxta eum: & iaciam

quasi exercens me ad signum. *Mittam quoque & puerum dicens ei: vade, & affe mibi sagittas.* Si dixero puerum: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est &c. si autem sic locutus fuero: Ecce sagittæ ultra te (sive extra te) sunt, vade in pace &c. ubi notandum, quod sagittæ intra signum posuerit Jonathas, quod bene ageretur res cum Davide, extra quod malè. Sed cur sagittæ intra signum vitae, signum pacis, contraria extra signum malum, signum periculi David & mortis? Auditores Christiani, voluit Deus hoc mysterioso sagittas jaciendi modo docere nos, qui agnoscamus qualis apud DEum & nos sit constitutio. Si sagittæ tribulationum intra nos sunt, si affligimur, signum bonum est; secus, si extra, si nunquam patiamur. Quo mysterioso jaculandi modo Jonathas edocitus jam tunc David passus postea, & sagittas tribulationum sentiens solatiosè & confidenter Domino locutus est psalmo 37. *Domine nè in furore tuo arguas me.* Quod idem erat, ac si diceret, certus sum, quod me non arguas in anima nimis. Sed unde haec certitudo? *Quoniam sagittæ tuae infixæ sunt mihi*, quasi dicat, certum signum sunt flagella, quibus me cædis in corpore, quod animæ meæ sis parsurus. *Quæ in nos interdum potens DEI manus jaculatur, non ad interitum sunt, sed salutem,* quoniam signa sunt amoris Divini, non furoris, ait S. Basilius in annot. in L. 1. Regum. Quod bellè intellexere Sancti DEI, unde non, sicut nos plerumque facimus, qui pro malo signo habentes & poena, sagittas tribulationum declinamus, fugimus, & ipsi fugerunt, sed potius postularunt cum Augustino L. 3. Confess. c. 6. & 8. *Jacula tua Domine in me sint,* & sagittæ tuae feriant cor meum, ut dicere

*dicere continuò possim, cbaritate Di-
vinā vulneratus sum. Et dum illos
DEUS adversitatibus visitavit, dum
senserunt ejusmodi jacula, non mur-
murārunt, nec questi sunt ut nos,
sed egēre cum eodem pro illis grati-
as: Gratias tibi ago Domine qui me
creāsti hunc humilem vermem, pascis
omnibus bonis, & sagittāsti cor me-
um charitate tuā. Non igitur mur-
murare, non queri, aut tristari &
pusillanimes esse debemus, si quan-
doque flagellamur magis quām alij,
sed dolere, sed metuere & solicita
curā angi de anima, si bene cedant
omnia, si etiam peccantes non casti-
gemur penis corporalibus & tem-
poralibus. Flagellat DEUS omnem
filium quem recipit (inquit Scripturæ
verbis S. Augustinus L. 1. de Pasto-
ral.) Esne forte exceptus? Si exceptus
es à passione flagellarum, exceptus es à
numero filiorum.*

§ 4.
Cur Chri-
stus in
monte
Thabor
transfigura-
tus, Filius
Dei celi-
tus delapsus
voce pro-
clamatur?

Inquirit Doctorum modernorum aliquis, cur super Christum in monte Thabor in gloria transfiguratum. Spiritus descenderit, Paternaque vox audita sit: *Hic est filius meus dilectus in quo mibi bene complacui. Matth. 17.* Et cur dum in infami patibulo crucis affixus erat, inter milenos corporis, animaque do-
lores adeò à Patre deseruit, ut erumperet in illa cor frangentia, & lacry-
mas excutientia querula verba: Matth. 27. *DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquisti me!* Auditores tunc, tunc nostrā opinione in dolo-
ribus & desolatione penè pereundi Domino Pater succurrere aliquo consolationis verbo debuisset, eumque suum filium dilectum nominare, cùm ei sic, & ad mortem usque obediens factus fuit. Causam in-
geniosam dat supra insinuatus Do-
ctor, in Cruce non fuisse opus ut filium suum nominaret, testare-
turque, si quidem ipsa passio, si quidem milleni dolores, quibus ex Pa-

Problemat. P. Philippi Hartung.

tris voluntate patienter cruciabatur Christus, sat clarum indicium erant, quod sit dilectus filius; secùs in mon-
te Thabor, ubi, quia sínè dolore, ubi,
quia in gloria, quod tamen esset Fi-
lius DEO dilectus, expressa voce o-
pus erat. Igitur non maleficium,
sed beneficium est pati, & affligi à
Domino, tantum quidem, ut S.
Chrysostomus hom. 8. in c. 4. ad Eph. dicere non dubitet: *Vindictum
esse propter Christum illustrius est, quam
sive Apostolum, sive Doctorem, sive
Evangelistam esse.* Si quis Christum
diligit, novit quid dico. addit: *non ita
beatum dico Paulum, quod in paradi-
sum raptus, quam quod in carcerem
conjectus est.* Si mibi cum Angelis
standum fuisset sursum, aut cum Pau-
lo vindictum in carcere, carcerem pero-
ptasse. Et S. Greg. hom. 15. in E-
zech. Tribulatio supremi gaudij intro-
itus est: quasi dicat: hæc est via Re-
gia, qua DEUS ad gloriam nos rectâ
deducit, extra quam omnis alia via
error est ad perditionem. Si enim
Regnum cœlorum emendo compa-
ratur, solæ passiones illius sunt pre-
mium: si gratuitò donatur, non ni-
si solis donatur patientibus: si titulo
amicitiæ obtinetur, haud alij cen-
fendi sunt amici, quām qui patiun-
tur: si vi accipitur, patientes soli
vivim ipsi inferunt: si per cambium,
aut transmutationem, non nisi cum
patientia commutatur: si dignæ
mercedis locò confertur, nullius
merces cœlum est, nisi passionis.
*Tribulatio supremi gaudij introitus
est.* Omnes cœli incolæ vestem Apoc. 19.
habent ex byffo contextam, quæ
percussionum vi dealbattur: omnes
prædestinati signo Tau, id est, Cruce
insigniuntur in fronte. Omnes è po-
pulo Dei electo mare rubrum, pas-
sionis symbolum transire debuere.
Ezechiel, 9.
Omnes beati stolas suas laverunt in
sanguine agni. Omnes filij Dei ex
mera Patris pietate flagellantur.

Apoc. 7.
tribulatio-
nes passio-
nes Eccl. 30.
Y. 1.

Omnies

Y.

PROBLEMA XXIX

170

Tob. 12.
v. 13.

Numer. 33.
v. 9.

Omnis, quotquot Deo accepti sunt per temptationem necessariò probantur. *Tribulatio supremi gaudij introitus est.* Ele^{cti} ad O. palmas nequaquam pertingunt nisi priùs amaras in Mara aquas tansierint. Peregrini Domini nequaquam terram intrant promissionis, nisi post frequentes cum septem nationibus barbaris superatos conflictus: Joseph priùs in Ægypto non dominatur, nisi venditus priùs à proprijs Ismaëlitis fratribus. Onustus deditijs ad patriam Jacob non revertitur, nisi percessà priùs, eaque diutinâ peregrinatione, atque exilio. Nec ad Regnum priùs sublimatus est David, nisi post longas Saulis persecutio[n]es. Denique nec patientissim⁹ Job benedictione omniū priùs repletus est, nisi bonorum omnium corporis, atque ipsarum etiam prolium jacturam passus fuisset. *Tribulatio supremi gaudij introitus est.* Nullus unquam ex his qui maximè D E O acceptabiles fuerunt, sínē pressuris vixit, ait Idem I. de Provid. sed bene illi, qui peccatores, qui filij iræ. qui quia spem non habent æterni boni, propter aliqua, quæ tamen agunt bona, permittit in temporalem remunerationem. D E us, ut illis ad tempus sit bene,

quibus æternū erit male. Unde S. Hieron. ep. 25. ad Castrat. *Magna ira est, quando peccantibus non irascitur DEUS.* Medicus deserat infirmum; de sanitate desperatum est; si Magister eliminet discipulū è schola, signum est incapacitatis: Pater si conniveat omnia filio, signum est, quod serio non amet. His tribus officijs erga nos D E us Medici, Magistri, Patris, si non propinet subinde amaram potionem tribulatiōnum, virgā te adversitatis non percūiat, exigua spes profectus in virtute, amoris & salutis est. S. Hieronymus in c. 16. Ezech. *Non eris amore dignus, qui indignus castigatio[n]e censeris.* *Misericordiam hanc ego nolo, super omnem iram miserationis ista est.* S. Bernardus serm. 42. in Cant. Si ita est Auditores, si tribulari, si pati adeò fructuosum est, si signum, Divini amoris, conformemus nos in omni passione Divinæ voluntati, osculemur paternam nos castigantem Virgam DEI, optantes cum Bernardo: *volo, irascaris mibi Pater misericordiarum, sed illa ira, quæ corrigit devium, sic cum sentio te iratum, maximè considero propitium.* dixerim ego. Verbo: dum sum in vinculis, agnosco me Joannem, Amen.



PRO-